

**Dissertatio inauguralis medica exhibens generalem scirrhi descriptionem
... / [Jacob Hochreutiner].**

Contributors

Hochreutiner, Jacob, active 1682-1728.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, [1682]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dy4v7euh>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

Exhibens

GENERAL EM SCIRRHI-
DESCRIPTIONEM

Quam

P R A E S I D E

Numine propitio Archiatro summo,
Juslu Decreto & Authoritate

Excellentissimi Amplissimi ac Gratiissimi
Senatus Medici in Celeberrima & Perantiqua
Rauracorum Universitate


Pro


Summis in Medicina Honoribus Insignibus
ac Privilegijs Doctoralibus
rite impetrandis

Benevolo Eruditorum Examini offert

JACOBUS HOCHREUTINERUS
Sangallo-Helvetius

Ad diem XXVII. Octobris L. H. Q. S.
Anno M. DC. LXXXII.





V I R I S

*Generis splendore, rerum gestarum Gloriâ, Meritis in Patriam, Excellentissimis, Amplissimis,
Nobilißimis,*

D. TOBIAE BAUMGARTERO, M. &
Chir. Doctori Celeberrimo, Reipublicæ Sangallensis,
Archiatro Dignissimo, Senatori Prudentissimo.

D. TOBIAE SCHOBINGERO, Reipubl.
Sangallensis Quæstori Spectatissimo, varijs Legationibus pro Patria maxima cum laude defuncto.

D. LAURENTIO KUNKLERO, Senato-
ri Gravissimo, Curatori Meritissimo.


D. JACOBO HOCHREUTINERO, Se-
natori itidem Prudentissimo.

D. HIERONYMO HOCHREUTINERO.

*Mecænatibus, Fautoribus, Agnatis,
Parenti omni Amoris, Honoris ac Obsequij
cultu jugiter prosequendis, devenerandis.*


*Disputationem hanc suam inauguralem, seque
ipsum, eâ quâ potest humilitate
commendat,*

JACOBUS HOCHREUTINERUS.



I. B.

PRO O E M I U M.



Ureos divini Hippocratis evolventi Aphorismos in prima statim fronte obvia erunt verba illa cedro digna, κρίσις χαλεπή, Judicium difficile: Nervosum hocce Hipp. dictum firmo stare tali, fateri necesse habet, qui ad hibitā judicii lance accuratā, accuratē pensitat non solum nobile Medicinae subiectum, artificiosam illam & stupendam humani corporis Fabricam, θάυμα θαυμάτων, vastum materiae medicæ campum, numerosam Morborum seriem, quin & cau- sarum spinosam ac intricatam sublimitatem, sed & judiciosè rimatur ac lustrat Virorum etiam Celeberrimorum, quā Veterum, quā Recentiorum circa hacce, dogmata, iudicia, sententiasq; varias, varie ac ingeniosè in cuiusvis cerebro fabricatas, quibus nodum huncce Gordium dissolvere sategerunt: Galenus quippe 4. suis Humoribus & Qualitatibus occultis: Paracelsus Sale, Sulphure & Mercurio: Willisius Succo nervoso & Fermentatione: Carthesius Particularum vario motu & texturā, hincq; exurgente variā pororum figurā: Sylvius & Graefius Succo pancreatico, Lymphā & Bile: Takenius Sale alcalico & acido: Wirdigius Spiritibus: Alii aliis singula in corpore nostro fieri solita explicare contendunt. Luculentus præter hæc testis ipsa

quog_z existit Experientia, circa quam iudicium difficile vel
exinde patescit quòd multa quotidie in machina nostra
contingant mirabilia, circa quæ enucleanda ratio hebescit,
imò ea seu in profundissimam obscuritatis abyssum immer-
sa mirari potius debet, rimari cùm non possit; Vel cui ha-
ctenus licuit esse tam felici ac beato, ut artificiosissimum
& inexhaustæ subtilitatis Automatum humanum tam ar-
tificiosè, ingeniosè que ac solide scrutari potuerit, hujusq_z a-
ctionum ut & effectuum mirabilium, solidas adeò rationes
reddere nōrit, ut nullum in ijs reconditum manserit dubij
vestigium: Curiosum quidem hocce Seculum Anatomiae &
Chimiæ sedulo scrutinio multa detexit vera, ast plura e-
tiam dubia nec firmis satis rationum fulcris stabilita, plu-
rima verò planè intacta reliquit, adhuc eruenda; Ut hinc
non malè fatus fuerit Celeberrimus Anatomiae Antistes
Bartholinus in præfatione Anatomiae reformatæ. Non
omnia nos assequimur, nec forsan post nos alij, quic-
quid sibi blandiantur, universam exhaustient naturam,
restabit semper quod discant & secuturo seculo tanta
reservantur, quanta nobis indulxit Numen. Si dein affa-
brè fabricatam hancce Machinam examinemus in statu
destructionis, dum ab inquis Morborum insultibus dirum
in modum turbatur, mutilatur ac defædatur, quot quasò
& hic se manifestant difficultatum scopuli, quos maximè
experiuntur qui exactius scrutantur Genium causarum,
quæ Machinæ turbas tales exitiosas inferre valent; Quot
non hinc oboriuntur, litigia, contentiones, digladiationes,
judicia diversa, à quibus diversissimæ propullulant opinio-
nes. Ex hocce scopulorum genere sit vel ipse Scirrhus qui
corpus nostrum non raro gravissimè infestat, imò sapissimè
in ruinæ præcipitum deiicit. Hujus ego tractationem im-
præsentiarum suscep_i, non vanæ gloriolæ titillatione exti-
mulatus, sed mandato Gratiostissimi Ordinis Medici a-
daetus, cui refragari debitum obsequium prohibuit: Vitio
itaq_z

itaq; mihi non vertendum, si & meum judicium obtusum circa Scirrhi enucleationem habescat, utpote exercitatiſſima qui etiam divexavit Ingenia; si splendida Reip. medicea Sydera, radioſo ſcientiae lumine atram hancce obscuritatis nubeculam omnimodè diſpellere haud valuerunt, quid mirumerit ſi & ego, qui non niſi radioſos quoſdam mutuatiſ ab illis recepi, nubeculam iſtam non tam diſipem quin potius magis condensem. Verū cum ultra vires nemo obligetur, pro poſſe ac noſſe officio fungar, Lectorem ſummo- perè rogitans de hiſce meis qualibuscunq; conaminibus Mo- mi non malevoli, Censoris ſed benevoli judicium ferat, probè memor illius triti.

In magnis voluisse ſat eſt!



THESES I.

SCirri anatomen dum aggredior, methodus consueta ordiri jubet ab ipſa Etymologia, nucleum enim qui edere geſtit, putamen frangere debet: ducitur autem hæc à σκιρρῷ induro, cùm pars quæ antea mollis fuit duritiem acquisirat, Latinis audit Tumor durus, Germanis dicitur ein harte Geſchwulſt.

II.

Decorticatâ Etymologiâ progredior ad ipſius nuclei examen inchoando à Scyrrhi differentiis, quo circa ejus eſſentiam enodandam poſtea felicius versari liceat: ſunt autem ille variæ; ratione enim ipſius Scirrhi, aliis dicitur incipiens ſive non exquisitus, qui aliquem adhuc doloris ſenſum junctum habet, aliis perfectus & exquisitus qui omni doloris ſenſu carret; Legitimus aliis qui à ſincero magis humore prodit, aliis Nothus qui alium ſocium habet; ratione verò partis affectæ in qua Scirrus domicilium exſtruit, ſi obſideat colli glandulas Scrophularum & Strumæ nomine venit, in mammis autem Scirrus mammarum audit, in hepate Scirrhī hepatis nomi-

ne insignitur, quod & de cæteris Scirri speciebus intelligendum venit, superfluum enim duco catalogum omnium specierum recensere.

III.

Hinc ipsam Scirri Definitionem colligere facile est, nempe quod sit Tumor præter naturalis durus, renitens, cuti concolor sine sensu & dolore vel levi saltem, ab humore melancholico pituitoso, crasso, lento, terrestri magis, vel potius lymphâ particulis acidiusculis, salinis, fixioribus ac terrestribus imprægnata ortum ducens.

IV.

Morbus scirrus est auctæ magnitudinis, pars enim à Lymphæ cumulo sensim aggesto aucta, diductis supra modum & expansis suis fibrillis, magnitudinis debitæ cancellos necessariò excedit.

V.

Pars affecta quæ consideranda venit vel generalis magis est, potestque quævis machinæ nostræ pars esse, insidiatur quippe hostis hic omnibus partibus, vel est specialis & sunt ut plurimum partes glandulosæ Veteribus parenchymaticæ communiter dictæ, prout curiosè in aliquot sectionibus demonstravit Celeberrimus D. Professor Harderus, incliti Collegii curiosi Pœon famigeratissimus, Prosector ut acutissimus ita & dexterissimus, Praeceptor ac Patronus meus omni honoris reverentiâ prosequendus; comodum verò glandulosæ hæ partes Scirro exhibent habitaculum, quia ad has si non lympha ipsa, saltem materia lymphæ copiosior affluit, ibidemque in statu præternaturali uberior colluvies reperiri consuevit.

VI.

Glandulæ verò sunt vasorum minutissimorum canaliculis suis excretoriis continuatorum conglomerationes, vasis sanguiferis arteriis sc. venis, lymphaticis & nervis donatæ; Dividuntur hæ communiter in conglomeratas & conglobatas; Conglomeratæ eæ dicuntur, quæ ex pluribus aliis, seu acinis exactissimè sibi contiguis agglutinatis conflatæ, cum superficie aliqua inæqualitate, lympham confectam per peculiares ductus excretorios in certas cavitates corporis notabiles effundunt; Conglobatae verò nominantur, quæ ex continua ma-

nua magis coagmentantur substantia, æquali superficie gaudente, lympham elaboratam per vasa lymphatica vel immediatè ad ductum thoracicū & venam subclaviam deponunt vel ad receptaculum chyli, vel etiam ad aliam glandulam amandant; specialiorem & exactiorem qui desiderat glandularum notitiam, videat exasciatum *de glandulis tractatum* *VVariorum.*

VII.

Delineatā parte affectā ordo requirit, ut causarum aggrediar scrutinium, quæ commodè dispesci possunt in duas classes, quarum prior externas, posterior internas complectitur; externæ rursum necessariæ sunt vel contingentes; Necesariæ sex rerum non naturalium respiciunt vel vitium, vel etiā abusum qui hinc non malè Medicorum nutricula vocatur. Inter has primum sibi vendicat locum Aēr, qui quantas in machina humana excitat tragœdias, quotidiana experientia edocet; hostilem verò suum effectum si conjecturæ locus, exercerere videtur, quæ proprii salis nitroſi, quæ particularum ei admixtarum peregrinarum ratione, hæ quippe una cum aëre inspiratè & M.S. intimius permixtæ, cras in ejus valde invertunt, vel salia nimis exaltando, hincque vehementiorem motum concitando, cùm particulæ acres & malignæ prædominium habent, vel eadem nimium diluendo, ut nec intimius coire, nec debitè effervescere possint: contingit verò hicce effectus, cùm Sal aëris nitrosum à particulis humidis nimis est dilutum, quod pluvioso tempore præcipue accidit, vel tandem eadem nimium condensando & quasi coagulando, quæ coagulatio si fortior, machinam nostram totali ruinæ exposuit, evidens hujus testimonium exhibent frigoris hostili injuriā enecati; Si verò eadem mitior existat, machinæ variam affricat labem, quam probatam dant varii hujus effectus, perniones, fissuræ labiorum, manuum, maximè mammæ latitantium ex improviso nudæ aëri objectæ, quæ ex hinc sæpè scirrhosam indolem acquirunt, quidni proin & in aliis machinæ locis magis profundioribus, aēr hancce suam energiam obtinebit, particulæ quippe ejus una cum aëre haustæ & M.S. permixtæ per totam machinæ feruntur compagem, & proximâ partium dispositione ac textura, variis quoque in lo-

cis nidulantur, temporis ut tractu in iisdem morbosum excludant fœtum; videtur verò hæcce aëris vis consistere in nitro ejus magis concentrato, unde particulæ ejus magis rigidæ & stypticæ quasi evadunt, quæ ad partem delatæ lympham incrassando & fibras nerveas stringendo agunt, quò certè multùm omnino confert defectus caloris Solis, hocce temporis articulo minus activi, unde non absurdè Vir quidam magni Nominis dicebat, quòd Sol ad instar ignis chymici modo tamen longè excellentiori nitrum aëreum ab heterogeneis quasi depuret, exaltet & rectificet, inde fieri quòd tempore æstivo, spiritu nitro aëreo existente purissimo, M.S. in tantum ferociat, ac febres continuæ hinc progenitæ frequen-
tissimæ sint; Et hæc ultima aëris vis coagulativa hujus maximè est loci, quâ præprimis aër austrinus & borealis scatent, non malè frigidi humidi inde dicti.

VIII.

Ex rerum non naturalium œconomia considerandum porrò venit Ciborum agmen, qui ut morborum quamplurimorum aliorum, ita & hujus morbi uberrimum sunt promptuarium, seu hi laudatæ indolis nimia copiâ devorentur, et enim juxta magni Hippoc. effatum *aphor. 5. Sect. 2. Omne nimium naturæ inimicum*, seu etiam vitiosis imbuti sint qualitatibus, ex quorum censu sunt, qui parùm spirituositatis, multùm visciditatis, plurimùm terrestreitatis ac aciditatis fovent, ejusmodi sunt olera, legumina, fructus horæi, poma, pyra maximè immatura, ceu quæ acorem acidum coagulantem habent, pisces, cochleæ, caseus, præprimis panis nimium fermentatus nec satis coctus copiosè sine aliorum ciborum additione comedust: Hujus farinæ quoque sunt varii ciborum apparatus vitiosi, quibus cibi aliàs probæ notæ totaliter corrumpuntur, & spirituosâ ac laudabili virtute exuuntur, tales sunt caro salita & fumo indurata, item illud cibi genus quod vocatur compositum brassicæ capitatae, Germanis intitulatur Saurkraut/parratur, hoc ex brassica capitata crassiusculè incisâ, quæ Sale condita in vas ligneum reconditur & lapidis alicujus ponderosi mole ad certum tempus aggravatur; Dantur porrò duo alia istiusmodi composita, pessimæ itidem notæ, alterum vocatur compositum betæ, raparum compositum alterum; primum

primum fit ex beta rubra adulta, à sordibus probè purgata, recipitur hæc & in vas aliquod amplum immittitur, ut fiat stratum super stratum, intersperso semper Sale, sub finem ponderoso oneratur lapide ad destinatum usque tempus, nostratis audit. Standen frquit secundum verò paratur ex fructuum variorum, pomorum, pyrorum, raparum, prunorum sylvestrium, mespilorum, ribium &c. miscela, quod hinc non incongruè per notum illud vocabulum Germanicum Gompist exprimitur. Hos cibos vitiosissimè licet præparatos, multi nihilominus avidè & copiosè assumunt seu delicias admundū raras, qui tamen non raro machinæ nostræ labem affrictant incorrigibilem, imò sæpè subitanei exitii auctores sunt; nec est quòd admireremur morbosos hosce effectus, quicquid enim laudabilis & spirituosi inest succi, per fermentationem in auras abit, remanente hinc non nisi capite quasi mortuo: qualis igitur cibus, talis chylus, nutrimentum tale & hinc dependens partium harumve actionum vigor ac bona dispositio: ut enim ex spina non colligitur rosa, nec ex quovis ligno Mercurius sculpi potest; ita ex alimentis omni spirituositate depauperatis, delicatus chylus produci nequit, imò alimenta ejusmodi ingestā dupli nomine nocent, assumta enim non solùm chylificationis opus turbant, fermentum ventriculi enervando, simulque chylum spurium fæculentiis terreis & acidis imprægnatum suppeditando, sed ad M.S. delata hujus bonam diathesin valdè destruunt, salium debitam exaltationem & continuandam effervescentiam infringendo. Non omittenda hic sunt maximæ considerationis Ova ad duritiem cocta, & quidem horum albumen præcipue, lentum hoc viscidum, & in duritiem lapideam coagulabilem obtinet succum, unde facile Scirrhi fit parens; Luculentus hujus rei testis vel sola sit historia, pronuper ab Experientissimo Domino Professore Rothio, Practico felicissimo, Hospite meo ac Fautore summo honoris cultu colendo communicata, Studiosi cujusdam juris qui eis ovorum ad duritiem coctorum largo, insigniter deletabatur, adeò ut satiari haut potuerit, hic proin singulis ferè diebus summo mane aliquot horum multo cum desiderio devoravit, inde autem non solùm totale Sanitatis dispendium, sed ipsius quoque vitæ jacturam incurrit, nam ho-

rum usum ad tempus strenuè continuatum insequebatur horrenda illa passio nephritica , quâ miserrimè divexus , insultus sæpè convulsivos immanes à calculorum & grandi mole & acutie percessus est ; calamitas hæc diu sola non erat , interjecto enim brevi temporis spatio , gravis & monstrosus hydrops propullulavit , qui Scirrhī grandioris in partibus glandulosis radicati soboles fuit , quo suffocatus tandem vita lia lumina liquit . De ovorum cæterà natura & effectibus legi meretur , curiosa , perbella & erudita *Dissertatio de ovis pa schalibus Celeberrimi Franci, Patroni mei omni honoris ob servantiā de venerandi.*

I X.

Cibos excipit Potus , qui ad Scirrhī proventum suum quoque confert symbolum , si particulis nimirum fæculentis , austoris , terreis , tartareis , quæ generando Scirrho aptam præbent materiam , scateat & immodicè hauriatur , hujus censūs sunt vinum minus spirituosum , mustum nec à fecibus tartareis depuratum , mustum quin & pyraceutum , pomaceum recens , nec per fermentationem repurgatum ; ut & aquæ paludosæ , stagnantes , sabulosæ maximè & glaciales ingurgitatae , qualis illa , referente *Excellentissimo Pæone* , quæ in Vallesia scaturit , atque inde forsitan morbus ille endemius struma incolis inibi quasi vernaculus , originem suam trahit .

X.

Motus dein & Quies , Somnus & Vigiliæ , Scirrho formitem subministrant , cùm in excessu peccant : Motus quidem & Vigiliæ salia in M.S. nimium exagitando , & in furem quasi abripiendo , quod non sine magna Spirituum animalium jactura ac largo sudoris profusione contingit ; vehiculo hinc M.S. præter modum exhausto , sanguis crassiorem adipiscitur texturam & maximè serosa hujus pars , quæ ad glandulas delata facile stagnat . Somnus verò & Quies contrario operantur modo , Salia enim magis torpescere faciunt atque effervescentiam intestinam inhibent , ut sanguis crudior & impurior relictus & impuram lympham & spiritus minus vegetos ac subtile progignat , juxta illud Poëtæ .

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus

Ut capiant vitium ni moveantur aqua.

X I.

Non minimum quoque contribuunt ipsa Excreta & Retenta, illa si excedant, haec verò si deficiant: utraque machinam graviter laedunt; In illis enim contingit succorum etiam laudabilem copiosa dejectio, & spirituum animalium prodigalis absuntio, hinc M. S. crosis valde immutatur, vires insigniter prosternuntur, exemplo sit vel sudor prodigiosus, vel alvi fluxus copiosus; In his verò particulæ hetero geneæ à judice natura ad exclusionem condemnatæ, vel ex parte saltem, vel planè non ejciuntur, sed restitantes succis laudabilibus non citra periculum reaffunduntur, ita sæpè poris cutis strictioribus existentibus, particulæ in M. S. segregatæ ac præcipitatæ, cum exitum non habeant à sero, circulationis ope illas partes alluente rursum imbibuntur, sanguinique refluо denuò permistæ operosum illi creant negotium, prout observamus tubulis fibrosis renum obstructis, vel ipsâ pelvi à calculo grandiore vel materiâ sabulosâ exactè obturatâ, seri particulis salinis crassioribus transitum denegari, quæ à sero hinc rursus absorptæ & M. S. affusæ, ad corporis periphæriam interdum detruduntur, sudorisque urinosi formâ exterminantur: Corpus nostrum quoque defecant fæces alvi subsistentes, quibus chylus ad intestina destrusus, foetidâ quandoque aurâ à Sulphure impuro destructo expirante inficitur; eadem si nimiū accumulentur, debitam partium fæculentiarum à chylo sequestrationem impediunt: quod & de sanguine menstruo intelligendum, cuius retentio insolita vel nimia excretio gravia excitat mala, teste Hipp. Sect. 5. aphor. 57.

X II.

Tandem non infimum ad hocce malum producendum obtinent locum Animi pathemata, curæ, mœror & tristitia, quæ spiritibus animalibus in munijs suis obeundis maximè officiunt, hinc deficit appetitus ob segniorem illorum in plexum nervosum superioris ventriculi oris influxum; minus felix est chylificatio, ob fermentum ventriculi hebetatum, nec spiritibus animalibus turgidum, patitur quoque ipsa effervescentia ob motum sanguinis imminutum, spiritibus in motu aliquo modo turbatis nec adeò agilibus ex-

stentibus, hinc in organa ijdem minus promptè influunt.

XIII.

A' causis externis necessariis provehor ad contingentes quæ sunt ictus, casus, contusio &c. quibus fibrarum nervearum ut & pororum vitiatur configuratio; huc non ineptè referò, casum ab Amico communicatum de Viro quodam, qui ex improviso mulieris lactantis mammam sinistram impetuose contrectavit, quam contrectationem statim insequebatur gravis inflammatio, quæ degeneravit in Scirrum consumacissimum, qui nullâ medicamentorum vi extirpari potuit.

XIV.

Absoluto causarum externarum examine, depropero ad scaturiginem causarum internarum, quæ duplicis generis, vel antecedens vel conjuncta; Antecedens est Cacochymia & quidem acida, fœcundissima morbosæ prolis mater, hujus veritatem in dubiam, ne multorum auctorum tædiosam allegationem in medium proferam, commonstrarre possum vel vivâ autopsiâ, quam heic observare contigit in Orphane-trophio, cuius incolæ ad unum ferè omnes ejusmodi succorum vitiosi characteris cumulo scatent, quos vel ipsi effectus morbosî testatum fecere, in quibusvis enim horum cadaverum sectionibus ab Experientissimo Pœone adornatis, in conspectum se dedere Scirri variî, stupendæ sœpè magnitudinis, hospites ut plurimum partium glandulosarum. Focus istius Cacochymiæ videtur Ventriculus, penarium illud omnibus corpusculi partibus nutrimentum distribuens, & præprimis fermentum quod in illo hospitatur, si nempe hebes ac insipidum, particulis volatilibus salino-acidis haut satis acuat, spiritibusve animalibus minus turgeat, neque enim verisimile arbitror glandulas stomachicas, quarum Celebrissimus Wepferus splendidum illud Reip. Medicæ Decus, Patronus meus, summo reverentia cultu suspiciundus, in exsciatißima Cicut. aquat. ut & sagacissimi Pœon ac Pythagoras in eruditis & curiosis Exercit. Anatom. meminerunt, quasque ab Illo mihi demonstratas fuisse probè recordor, liquorem secernere, qui vehiculi loco saltem inseriat spiritui animali, cætera ad chylificationem seu cibi ultiorem dissolutionem nil contribuat; taliter autem constitutum

tum, ciborum ingestorum poros intimè nec penetrare, nec eorum compagem dissolvere, vel salia in iis contenta fixiora subtilisare valet, unde chylus crudior necesse pullulat, qui ad intestina prolapsus, nec à quisquiliis, seu particulis laudabilioribus intimius adhuc unitis debite liberatus ac sequestratus M. S. cum infunditur, non potest non ingentes in ea excitare turbas, salium siquidem necessariam effervescentiam & ab hac dependentem volatilisationem maximoperè læditi destructam hanc partium necessariam in M. S. effervescentiam varia insequuntur mala, spiritus etenim animales ab iisdem irretiti in motu suo variè impediuntur, sequestratiq[ue] per crebri glandulas à debita sua crassi s[ecundu]m desciscunt, dum minus agiles & vividi existunt; accedit huc quod in ejusmodi sanguine Cacochymico, particulæ heterogeneæ à salibus in M. S. contentis non probè segregentur ac præcipitentur, nec à seroso vehiculo imbibitæ è machina amandentur: Cacochymiam porrò promovet ipse calor vulgo dictus, si debilior sit & fermenti particulæ salino-acidæ minus actuentur quod manifestum fit, in panificio, in quo calor multum operatur, particulas fermenti subtilisando & farinæ poris immiscendo. Nec excusanda venit bilis si à naturali sua crassi recedat & multum phlegmatis, paucissimum spirituositatis alcalico-sulphureæ foveat, hinc chyli particulæ volatiles aquositate suâ nimiâ diluendo enervat; eadem quoque peccat si particulæ ejus minus aculeatæ, sed obtusæ magis crassæ & viscidæ fuerint, quæ poris particularum chyli improportionatæ, illis se vel planè non insinuare possunt, vel insinuatæ particulæ volatiliores visciditate quâ gaudent infiscant & hoc modo activitatem obtundunt, imò sit ut ejusmodi bilis glutinosa & tenax chylo permista, particulæ spurias & crassiores præcipitatione separandas, magis coagmentet & quasi conglutinet, ut postmodum vinculum harum difficillime solvatur: Succus quoque pancreaticus Cacochymiam fovet, vel cum insipidus fuerit, particulis salino-acidis minus imprægnatus & massæ chylosæ cum bile affusus fermentationis conflictum minus acriter intendat, hincque particularum crassiorum præcipitatio deficiat, vel etiam aciditatem præter naturalem contraxerit, cuius ope massam candem ni-

mium coagulet; hic quoque non excludenda venit Viscerum labes, quæ pro ratione varia esse potest.

XV.

Ad causas antecedentes quoque referuntur inflammatio & intempestiva repellentium applicatio; Illa quidem, quatenus calore intestino excedente, humor lymphicus in parte coagulatur; Hæc verò quatenus fibras stringendo eundem condensant.

XVI.

Causam quod attinet proximam, circa hanc determinandam diversa sunt auctorum judicia, adeò ut nodus, qui hîc venit dissolvendus, multifario difficultatum nexu arctè constrictus sit, herculeosque requirat labores; Fateor hinc negotio huic achilleo expediendo me parem non esse, agam tamen quantum exiguae obtusi mei ingenii vires concedunt, eo erectus solatio, sagacissima quoque Ingenia, hæcce difficultatum repagula diffringere haut valuisse. Magnus *Fernelius*, ut ad rem deveniam, ejusque *Aseclæ Riolanus*, *Riverius Sennertus* &c. originem Scirrhi derivant ab humoribus pituisis ac melancholicis vel seorsim existentibus vel mixtis; quam tamen sententiam, splendidus olim ille Reip. medicæ *Sol Platerus* non amplectitur, quin probare contendit fomitem morbosum deducendum potius esse ab ipso succo nutritio crassiore, non verò ab humoribus excrementitiis, videatur *J. de Scirrhi causis*, ubi mentem suam pluribus exponit: Quæ Plateriana sententia si probè perpendatur, ad modernorum scopum quodammodo facere videtur, qui Scirrhi natales dicunt humorem lymphicum in quo succum corporis alibilem latitare, valido satis argumentorum robore confirmavit *Excellentiss. Bohn. in exasciatis suis Exercitat. physiolog. cap. de succo nutrit.*

XVII.

Ut verò succi hujus lymphici indeles melius cognoscatur è re esse videtur indagare quis sit fons è quo propullulat; atque hic recentiorum omnium calculo glandulæ judicantur esse, quæ conglomeratæ, quæ congregatæ, quibus adjungo *ex Exercit. XXVI. Clariß. Pythagoræ ad Excellentiss. Pœonem Diaphragma, artuum musculos, aliasque partes membraneas lym-*

Lympham stillantes, nec tamen glandulis visilibus præditas, unde, quod supra tetigi ex parte, dubium est adhuc, an solæ congregatae humorem istum propriè eliciant & secernant; Id quoque heic annotandum non omnes in machina nostra reperibiles glandulas eodem defungi munere: ut enim quædam lympham laudabilem præparant ac sequentur; itanon nullæ succi lymphici partem ignobiliorē particulis præcipue salinis interdum etiam aliis dotatam recipiunt segregant, ut vel liquorem certo usui inservientem inde corpori suppeditent, vel successu temporis extra machinam illam eliminent. Ex harum censu sunt glandulæ miliaries subcutaneæ malpighianæ dictæ, renales item & lachrymales; ex illarum verò pancreaticæ, salivales, &c. item intestinales. Acutissimi Pythagoræ Fautoris mei ac Amici summè honorandi.

XVIII.

Ex dictis liquet minus probabile Veterum de glandulis assertum, quas eum non nisi in finem fabricatas dixerent, ut vasis præberent fulcimentum, humoribus quin & excrementitiis ad instar spongiæ imbibendis solùm inservirent; ultimum istud vel nobile inventum Bartholinianum Vasorum lymphaticorum destruit, lympham in venam subclaviam aliasque cavitates eructantium, quæ si mali existeret moris, è machina nostra potius proscribenda foret; quis porrò dicere ausit salivam humor merè excrementium esse, quæ tam nobilem corpori præstat usum, incisivâ, attenuativâ & fermentativâ suâ virtute, quâ ad instar menstrui cujusdam particulæ paulatim dissolvuntur, vincula harum laxantur, ut felicior postmodum in ventriculo contingat chylificatio; Argumentum quoque validissimum mihi suppeditat exemplum illud rarum ab Excellentiss. D. Professor. Rothio communicatum, Viri cujusdam qui cætera sanissimus à solo humoris salivalis stillicidio, ad aliquot dies continuato ob carunculam dilaceratam, diem suum obiit, à plurima dubio procul spirituum animalium in lympha hacce habitantium profusione, quâ factum ut ad actiones reliquas debitè in corpore obeundas necessarii defecerint. Istam salivæ præstantiam præter allata luculentissimè etiam comprobant ejus defectus

vel vitiosa diathesis, quæ chylificationis negotium turbando gravissima sæpè inferunt mala. Succum pancreaticum non minus nobilis usus esse demonstrat, necessaria in Intestino duodeno fermentatio deficiens, ob quam nec chylus elaboratur sufficienter, nec à recrementis crassioribus ritè purgatur; cui actioni perficiendæ cum bilis ab acinis glandulosis hepatis, quos Viri Celeberr. *Wepferus & Malpighius* primi conspexerunt, destinata sit, ejus nobilitas vicissim inde elucescere abundè potest, tributo utilissimo quod glandulæ intestinales conferunt, non rejecto.

XIX.

Fonte lymphico detecto operæ pretium erit scrutari lympham hinc scaturientem; Ut verò opposita juxta se posita magis elucent, priùs naturalem lymphæ genesin exponam; Conficitur hæc plurimorum Recentiorum suffragio probabiliter ex ipso sero in M.S. fluctuante, & hujus quidem parte magis dulci (unde partibus alimentariis ipsam constare, succi que nutritii portionem aliquam residuam esse Clar. *Pæon* contendit *Exercit. XXVI.*) quæ una cum cæteris sanguinis particulis beneficio canalium arteriosorum ad glandulas perveniens, poros illarum proportionatos ope sanguinis impulsū subingreditur ulteriore inibi sequestrationem & perfectionem à spirituum animalium ubere influxui acquisitura, spiritus siquidem per fibras nerveas currentes particulæ seri receptas intimius subeunt, salinas volatilisant balsamicas exaltant & rita singularum combinatione magis dulcificant; Seri hæcce pars in glandulis ita sequestrata Lymphæ nomine insignitur, quæ per vasa lymphatica, partim in Cysternam chyli partim in venam subclaviam, sanguini è quo desumpta fuit ob necessarios usus reddenda effunditur: Qui verò in pancreate & glandulis oris secernuntur è sero succi, pancreaticus & salivalis, exrementitii sunt & à natura propterea per ductus convenientes ejici consueverunt.

XX.

Serum istud sanguinis è quo lympham confici modò asserui, si impurum sit & quàm plurimis scateat particulis heterogeneis, salinis fixioribus, acidis, viscidis crassis & terreis

terreis lymphæ vitiōsæ ansam præbehit; Redditur autem tale ut plurimū à 6. Rerum non naturalium usu sinistro, à quibus Cacochymia corpori jugiter inducitur, & Spirituum animalium laudabilis & ~~et~~ vitiatur: Fit hinc ut serum dictis particulis refertum, ubi partes glandulosas subit, à spiritibus animalibus domari, exaltari ac volatilisari, imprimis ubi illi ipsi minus vegeti & in motu suo agiles fuerint, sufficienter nequeat; restitabit proin poris infarctum facile, & coagmentabitur magis magisq; donec temporis tractu magis induratum, Tumorem architectetur scirrhosum; atque lympham ejusmodi depravatam causam ut plurimū Scirrhorum proximam constituere probabiliter statuo, eò quod illi ferè semper partes hasce glandulosas incolant.

XXI.

Non negligenda hīc est glandularum vitiōsa conformatio, à pororum ampliore hiatu, vel fibrarum nimia laxitate dependens; Utrumque provenit *vel ab ortu*, quando fabricae hujus Architectus in ovo talem in glandulis efformat figuram, *vel post ortum* à causis precatarcticis, iestu, casu, convulsione, aut etiam internis maximè ab imbre largo humorum, qui fibrarum tonum valde destruunt laxioremque reddunt, sicque poros ipsos magis hiantes faciunt, ut hinc non saltem materiam laudabilem, sed & particulas heterogeneas facile admittant, quas ob vim adstrictoriā lāsam expellere postmodnm haut valent; malo huic aggravando inservit compressio fibrarum parietum à materialē impactā, unde spirituum animalium influxus idoneus inhibetur, quos tamen virtuti adstrictoriæ non minimum addere robur fibras distendendo ac inflando, paralytici sufficienter comprobant; prohibito ita spirituum largiore influxu, serum in glandulis legitimè depurari & separari nequit, sed crudum ac rude relictum morbi dicti fomes existit.

XXII.

Dicit verò jam quis, stante hā Hypothesi, Veterum assertum de Humore pituitoso & melancholico merè chimericum atque fictitium esse apparent; Cui regero non tam nudο ac sāpē odioso nomini hīc adhærendum esse, quād ad

ipsam rem attentendum: Hinc quamvis statuerim in Scirrho potissimum lympham accusari debere, exinde tamen minimè concludere licet, hoc modo succorum aliorum miscelam me exauktorare, contrarium cum evincat vel *Thes. XX.* in qua clarè remonstravi Scirrum progigni non à sincera lymphā, sed potius impurā ac spuriā, quæ particulas varias admixtas habet, lertas, crassas, viscidas, terrestres, acidas, quæ Humorem pituitosum ac melancholicum æmulari optimè dicuntur. Remotis proin præjudicii & invidiæ arbitris, Humores istos stabiliisse magis quām rejecisse bonis omnibus videbor; Absit enim ut in præclara Dogmata Veterum injurius sim famamque ac laudem ipsis debitam derogem, cùm summā ac sempiternā Honoris reverentiā dignissimi sint, seu qui facem nobis accensam prætulere, primam glaciem fregere, viamque inviam variisque errorum spinis dense obsepitam, tritam reddidere, ut facili jam negotio in hac incedere, impigroque labore ac curioso scrutinio adjuti defectuosa sensim perficere possimus.

XXIII.

Causarum labyrinthum egressus Signorum Diagnostitorum aggredior syndromen, quæ tactu maximè, situ & visu dignoscuntur; Tactus explorat duritiem partis; Visus verò attendit colorem; Situs tandem inquirit in partem affectam, maximiq; momenti est in Scirrhis profundius latentibus dignoscendis, utpote in quos visus nec aquilina acies penetrat, nec etiam tactus feliciter indagare valet. Signa igitur Scirri sunt sequentia 1. Tumor omnium humoralium durissimus existit, propter materiam quā gaudet terrestrem, à particulis salino-acidis firmissimè coagmentata quæ hinc aéri exposita lapideam non rarò induit duritiem, ut sæpè commonstravit Excellentiss. Pæon in sectionibus Scirriformum 2. Color sanæ parti similimus est, nonnunquam tamen ad plumbeū inclinat, illud contingit si lympha coagulata magis pura existit, Veteribus pituita vitrea dicta, istud verò accidit, si lympha à sanguinis portiunculâ aliquā admistâ coloratur. 3. Nullus calor persentiscitur, quia nulla ferocithumorū ebullitio ob salia in M. S. depressiora, nec rodens adest humoris acrimonia, qui fibras nerveas vellicando spiritus animales

animales & cum his seu rectoribus totam M. S. in furorem concitare possit; Nullus quoque vel levissimus saltem infestat dolor, propter fibras partium glandulosarum à materiæ pondere in tantum compressas, ut spiritibus animalibus à quorum inordinato recursu anima ideam doloris concipit, aditus intercludatur, exemplo sit nervi dissectio cum sensûs & doloris frustratione; Ex hac quoque causa 4. membrum planè insensibile redditur 5. Frigidum demùm illud evadit, ob seri acidis particulis divitis abundantiam, & sanguinispurpure sulphureæ insignis illius caloris monarchæ penuriam. Signa Scirrhi ab inflammatione nati, ipsa inflammtio prægressa indicat; Et si ab intempestiva repellentium applicatione ortus fuerit, hanc prægressam esse ab aliis audiemus.

XXIV.

Signa differentiarum sunt; quòd Scirrum incipientem ac legitimum comitatur aliqualis dolor & color parti similis; absolutus verò & spurius insensibilis planè est, faciesque ejus plumbea apparet, cum pilis in superficie prorumpentibus, atque hic extirpatu difficillimus existit.

XXV.

Diagnosin probè institutam Prognosis excipit, quæ de Scirro in genere non malè sperare jubet, morbus quoniam non adeò truculentus est, nec semper funestus, neque enim ipso correpti in mortis fauces statim præcipites dantur; nihilominus curatu difficilis est, quòd materia morbifica non nisi difficulter attenuari & resolvi potest. Specialis vero Scirri consideratio hujus respicit gradus, durationem, materiæ peccantis molem & tenacitatem, ipsiusque, partis affectæ pravam constitutionem; Ita Scirrus inciens curationis promittit spem, lymphâ nondum ita fortiter coagulatâ, ac parti impactâ, quin medicamentorum vis facile penetrare, particularum arctiorem compagem discontinuare, easque viscidiore incidevalet; Scirrus contra, qui summum perfectionis attigit gradum, omnium cùm remediorum expugnet virtutem, incurabilis habendus; qui si radices egerit in mammis, truculentum illum rabiosum ac plerumque exitiosum progerminat morbum, *Cancrum* vocatum, cùm videlicet materia morbosa in mammis stagnans in virulentum &

quasi vitriolaceum ac summè corrosivum d' generat acorem, quem probatum dat, teterimus fœtor, quem talis hospes exspirat, acetum quodammodo redolens; Si verò hostis glandularum hepaticarum incola sit, Microcosmi *Diluvium* causari potest, vel quatenus particulæ seri lymphici acidiores magis existunt, hincque cum aliis particulis terrestribus & fixis per coagulum in vasis lymphicis aggestæ hærent, eaque distendendo vehementius quandoque disrumpunt, unde reserata portâ, continuum seri lymphici fit profluvium, vel cùm cædem particulæ acrimoniam induunt, quæ fibras erodunt & sero lymphico exitum parant; Porrò si glandulas *Scirrus* obsideat mesentericas, *Atrophiâ* machinam destruit, glandulæ quippe hæ in majorem molem adauctæ, vicina sibi vasa lactea comprimendo chylo transitum intercludunt, quò fit ut partes nutriendæ alimento defraudentur, marcescant, fibræ ipsarum exiccentur, corrugentur ac firmiter compingantur ad instar spongiae exiccatæ, quæ aliâs aquâ ebria amplum replet spatium: Multum huic malo contribuit quoque chylus viscidior & glutinosus vasa lactea & glandulas facile infarciens, quin imò intestinalium poros obturans; lumen atrophiæ ejusmodi à chylo luteo productæ fœnerari potest gallinæ cadaver hocce affectu extinctæ, à nimio lumbricorum terrestrium, qui lutulentum tales fovent succum, esu, in hujus quippe dissectione mesenterium innumeris ferè *Scirrhis* funiculo quasi seriatim alligatis repertum fuit, visceribus cæteris omnibus sanissimis existentibus; Durationis ratione quò *Scirrus* incunabulis suis proximior est, eò facilius curam admittit, contra qui provectionis est ætatis; Ratione vero materię, si nec magnâ admodum copiâ præsens lympha sit, nec particulis heterogeneis, viscidis, terreis, acidis valde scateat, eura *Scirri* facilior, contrarium verò si contingat, eadem difficilior erit; Tandem respectu partis affectæ, si fibræ glandularum paralyticæ quasi redditæ sint, & lympham peccantem exturbare omnino non possint, difficillimæ quoque curationis *Scirrum* esse concludere oportet.

XXVI.

Hisce ita præmissis provolvor ad ipsam Therapiam seu Curationem, occupatam unicè circa hostis hujus infensissimi oppu-

oppugnationem, quam feliciter consequi non semper licet; adeo nempe rebellis est quandoque, ut omnem medicamentum vim turpiter eludat, verissimumque faciat illud Poëta,

Non est in Medico semper relevetur ut eger,

Interdum doctâ, plus valet arte malum.

Cura itaque operosa est & magni moliminis, administranda nihilominus secundum Indicationes consuetas Curatoriam, Præservatoriam & Vitalem: Curatoria respicit ipsius morbi ut & causæ conjunctæ ablationem quæ obtinetur medicamentis lympham coagulatam incidentibus, volatilisantibus, attenuantibus & ita fluidiorem reddentibus. Præservatoria causæ antecedentis correctionem desiderat, succorum in M. S. vitiosè fluctuantium emendatione & particularum M. S. legitimam effervescentiam promoventium restaurazione. Vitalis verò virium attendit robur, quæ si validæ conservandæ, dissipatæ verò restaurandæ sunt. Tribus hisce indicationibus prospiciunt tres illi fontes celebres, Chirurgicalis, Pharmaceuticus & Diæteticus, qui generosa suppeditant nobis præsidia, quibus malum hoc extirpari eradicarique potest, de singulis seorsim aliqua subnectam.

XXVII.

Ordiar autem à fonte Chirurgico nobili illo & decantato, è quo hauriri potest V.S. & materiae scirrhosæ seu potius Scirrhi Excisio, si externam aliquam partem affligat. V. S. non videtur esse magni usûs, nec prostant Auctores practici, qui eam seu valde necessariam commendant, in corpore tamen plethorico non sine fructu videtur celebrari posse, cùm in tali sanguinis circulus segnior ob nimiam hujus copiam, portionis alicujus detractione celerior & promptior fiat, ipsaque M. S. effervescentia redintegretur, & salia illius ope debito modo volatilisentur, unde postmodum coagulo ansa præscinditur, non minus V. S. etiam in mensum suppressione conducet. Excisio verò licet majoris sit æstimationis, attamen cum grano salis accipienda, quippe quæ semper tuta non est, & tum demùm instituenda, ubi malum à causa externa ortum traxit, remediaque diu frustra adhibita fuerunt; Ubi verò minera in ipso latitat sanguine, nullum vel Auctorum Clarissimorum judicio ægro promittit solatum, metus

enim est ne extirpato membro , malum reviviscat , ea quoniam sœpè M. S. labes est , ut nulla remediorum ope emendari queat ; Quòd si tamen Operatio hæcce spem aliquam sanationis promittat , non à quovis medicastro , circumforaneo , qui sœpè seu de corio bubulo ludentes ægrum horrendis torquent cruciatibus , imò ipsam vitam eripiunt , sed à perito quodam Chirурgo Anatomiæ gnaro peragi debet , qui & dextrâ instructus est encheirisi & experientiâ multijugâ ; Omnibus autem viribus allaboret eò strenuè ut penitissimè mali radices evellantur , ne seminium quoddam relietum , interjecto brevi temporis spatio , novum protrudat germen.

XXVIII.

A' Chirurgia ad ditissimum illum rei medicæ thesaurum Pharmaciam pergo , è quā varia ad hostem huncce debellandum depromi possunt arma , tam internè quām externè usurpanda . Inter hæc primas tenent ipsa Purgantia , quā ἀνω , quā κάτω operantia , quæ ad virium amissim semper dirigenda sunt . Quæ ἀνω effectum exserunt , dicuntur Vomitoria , locumque habere videntur , si primæ viæ copioso succorum viscosorum cumulo obseßæ sint , ægri juxta dispositio ac Virium vigor illa permittant , radicitus quippe fomitem eradicant . Κάτω quæ operantur , Purgantia καὶ ἔξοχὴ audiunt , & hæc magnæ sunt utilitatis Cacochymiam siquidem luxuriantem feliciter educunt . Prioris generis sunt tartar . emetic . Oxyfacchar . emetic . syr . emetic . Angel . Sal . Vinum emetic . ad aliquot grana cum aq . cinam . & julep . rosat . propinatum , gutt . gamandr . quam præ cæteris aliqui magnificiunt : sal vitrioli quamvis multis suspectum sit ob particulas suas nimis aculeatas , quæ fibras ventriculi in tantum non nunquam stimulant , ut vomitus inde excitatus vix compesci possit , non tamen totaliter rejiciendum cùm in ventriculo viscidorum succorum saburrahâ repleto , ubi incisivâ virtute opus , felicissimi sit effectus . Posterioris ordinis sunt fol . senn . mund . agaric . rec . trochiscat . resin . jalap . mercurius dulc . ritè præparat . qui singulare meretur encomium , utramque non raro facit paginam , verūm cùm segniter operetur semper stimulum aliquem requirit ; prosunt etiam magis

composita Mass. pillul. de ammoniac. ut & Mass. pillul. tartar.
Quercet &c. Purgantia excipiunt Sudorifera , quæ egregiam
quoque conferunt opem, particulas heterogeneas salino-aci-
das terreas in M. S. separando , easque à sero absorptas per
commune illud emunctorum cutem excludendo ; ex quo-
rum numero sunt. C. C. phil. præparat. sal. volat. C. C. fix.
absinth. card. ben. ḡ. diaphoret. ritè præparat. & recens, spi-
tus. C. C. salis armoniac. tartar. &c. Suum quoque præ-
stant officium Diuretica, utpote quæ materiam peccantem
per urinæ ductus egregiè eliminare valent ; horum uberri-
mum cum sit penum, pauca quædam recitâsse sufficiat, sal.
volat. succin. tartar. insignem penetrandi vim habent, sal. ge-
nist. stipit. fabar. ononid. juniper. rob. junip. sambuc. ebul. ef-
sent. succin. spiritus juniper. terebinth. nitr. &c. itidem ma-
teriæ attenuandæ & versus vias urinarias ducendæ inserviunt.
Universalibus his præmissis jungi possunt quoque Par-
ticularia alterantia, coagulum solventia, particulas sali-
nas fixiores subtilisantia, viscidas incidentia : qalia sunt Ra-
dices ᷑. aper. major. & minor. aron. ari, apii, curcum. gen-
tian. imperator. taraxac. cichor &c. lign. sassaf. sarsaparill.
guajacin. &c. Herbæ menth. rosmarin. agrimon. scolopendr.
absinth. cardben. beta. betonica. marrub. nasturt. cochlear &c.
Flores borraginis. bugloss. violar. genist. hyperic. &c. | Se-
mina anis. fœnic. maximè erucæ &c. Ocul. cancr. præparat.
ebur sine igne præparat. unicorn. foss. mandib. luc. pisc. oss.
sepiæ : tartarea item , ut tremor tartari, tartar. chalybeat.
vitriolat. sal fixum tartari, tinctur. tartar. martialia omnia,
ut limat. mart. præparat. diaphoret. martial. vitriol. martis,
croc. mart. aperitiv. tinctur. martis *Zvvölferi*, essent mart.
cum vino malvatico &c. sal. porrò volat. mandib. luc. pisc.
menth. fixa urtic. scolopendr. spec. quin & lætif. *Galen*,
aromatic. caryophyllat. pulv. stomachic. *Birkmann*. cort. a-
rant. citri, cinam. mac. præprimis caryophyl. & ol. destillat. ob-
aculeatum sal volatile alcalicum, sal armoniac. deputat. flor.
item salis armoniaci, ut & hujus flor. martial. gumm. ammo-
niac. magnæ quoque laudis , maximè si aliis mixtum in for-
ma pillular. præscribatur, profund & extracta, menth. meliss.
absinth. betonic. croc. guajacin. it. spirit. aperit. *Penotii*, co-
chlear.

chlear, essent. absinth. myrrh. castor. cum spiritu salis armo-
niac. parat. liq. terr. foliat. tartari, elix. P. P. cum spiritu sa-
lis armoniaci parat: Magisteria quæ multi mirum in mo-
dum extollunt, ob virtutem acidum imbibendi & absor-
bendi à menstruo acido castratam, non magni facerem, ac-
cedit, quod ejusmodi simplicia ut Ocul. cancr. ebur, &c. pos-
sident subtile aliquod Sal volatile alcalicum, quod ab affu-
sione menstrui acidi seu illi contrarii planè enervatur; Nec
ab Aquis destillatis magnus effectus sperandus, materia pec-
cans cum hīc sit contumacissima, hæ autem plurimum phleg-
matis & paucissimum spirituositatis habeant, hinc magnus
Helmont. aquas destillatas vocavit non nisi herbarum fudo-
rem; Judicium idem ferendum de Syrupis nisi singulari ar-
tificio præparati fuerint, hos quidam potiori jure delicias
quām medicamenta dicendos esse vult; Ad eundem censem
referendæ sunt Conservæ, quæ ut & syrapi præparantur sac-
charo, quod spiritu acido penetrantissimo gaudet, qui parti-
culis volatilibus alcalicis se associans effervescentiam intesti-
nam excitando, harum activitatem destruit. Ex dictis jam
simplicibus variæ concinnari possunt Formulæ, prout affe-
ctus dictat & æger desiderat, pulveres, mixturæ, vina medi-
cata, quæ magni solent esse effectus præprimis si sal tartari
addatur.

XXIX.

Ab internis me confero ad remedia externa, quæ To-
pica audiunt, horum felicem imò stupendam sæpè operatic-
nem, quotidiana experientia comprobat, quamvis modus
agendi valdè obscurus sit, nullusq; haec tenus Ingenii acumine
eum assequi potuerit. Sunt autem illa varii generis vel Re-
solventia & Emollientia, vel Maturantia & Suppurantia, de
quibus probè notandum, raro locum habere & non nisi in eo
casu ubi cuncta frustrà fuerunt tentata, nec Scirrus ad can-
crum inclinat; Resolventia verò & Emollientia præmissis
universalibus statim in usum vocari possunt: Hujusmodi
sunt, Radices alth. curcum. bryon. asin. scropular. Herbæ
mercurial. branc. ursin. malv. bismalv. menth. betonic. ca-
laminth. origan. rut. sabin. rosmarin. hyssop. absinth card.
ben. marrub. Flores chamom. rom. & vulg. sambuc. melilot,
verbasc.

verbasc. croc. Summitates aneth. & cent. min. Semina lin.
fœnugræc. anis. cumin. carv. Succi allii, cepæ ob acerrium
sal volatile. Olea amygdalar. dulc. lil. albor. chamom. de
laterib. rut. cappar. lumbricor. anethin. laurin. vulpin. &c.
Dubitant tamen multi Practici, an hæc olea in usum vocare
liceat, quod fibris afferant laxitatem, simulque ipsos poros
infarciant, commendantur magis olea destillata magnarum
virium cum non nisi sulphura concentrata & coagulata sint
à sale volatili alcalico illis nunc magis nunc minus copiosè
admixto talia sunt Olea tartar. fœtid. terebinth. cumin. rut.
castor. sabin. succin &c. Gummata quoq; efficacia existunt
ut ammoniac. bdell. galban. tacamahac. carann. Resin. the-
rebinth. Unguenta quoque martiat. resumptiv. d. alth. Em-
plastra item Diaphoretic. *Mynsichi* de Nicotian. *Zvvölferi*,
Oxycroc. de melitot. ut & de mucilaginibus quod excellit,
imprimis si gumm. carann. tacamahac. ammoniac. ut & sal
armoniacum in majori dosi admisceantur. Ex hisce pro lu-
bitu parari possunt Formulæ, fomenta, cataplasma, lini-
menta, unguenta, emplastra; Verùm ante horum applica-
tionem locus linteo calido fricitur ac foveatur, ut poris ma-
gis hiantibus, particulæ medicamentorum subtiliores faci-
lius ad partem affectam penetrare possint.

XXX.

Tertius qui considerandus venit Fons Diæteticus est,
qui exactum præscribit Diætæ regimen, quod strictissimè ob-
servandum, cum vel levissimus error commissus graves infe-
rat noxas, quas magis aggravat errorum cumulus, juxta Ver-
sicolum illum tritum:

*Adde parùm modico, modicum superadde pusillo
Sepius hoc faciens magnum cumulabis acervum.*

Aëritaque sit calidior & purior, ne M. S. particulis suis hete-
rogeneis turbet. Cibi sint euchymi & eupepti, partium non
acidarum, viscidarum, terrestrium sed subtilium, ut sunt capi,
gallinæ, perdices, caro virulina juvenis sinapi condita; vi-
tet carnem hircinam, suillam, taurinam, leporinam, salitam
& fummo induratam, pisces item cochleas, olera, legumina,
lentes, caseum; Panis sit bene coctus non nimium fermenta-
tus, nec intempestivè assumptus; Juscula alterari possunt in-

coctione rad. aperient. herb. scolopendr. cerefol. petrosel. borrag. bugloss &c. quæ sæpè egregios effectus exerunt, magni proin facienda. Potus sit Vinum tenue, rubellum, non crassum nec fæculentiis tartareis abundans; Vel decoctum ex radicib. aperient. lign. sassafr. sarsapar. sem. foenic. rasur. ebor. limatur. ♂. in pet. ligat. Motus & Quies, Sominus & Vigiliæ moderatè se habeant, juxta illud:

*Est modus in rebus sunt certi deniq_z fines
Quos ultra citraq_z nequit consistere rectum.*

Excreta & Retenta nec excedant nec deficiant, alvus proin aperta sit, sin minus purgante clystere aut suppositorio proritetur. Animi tandem pathemata præprimis mœrorem, tristitiam & curas ceu pestem fugiat, levis quippe excessus magnarum turbarum fœcunda mater est. Et hæc sunt quæ de prolixo hoc & subtilioris adhuc scrutinii Themate Lectori benevolo offerre volui. Cujus si apposita hæcce sterilis ingenii mei fercula utpote sale eruditionis minus lautè conspersa palato minus grata ac delicata obveniant, benevolè condonabit. Jehovæ interim, à quo, in quo, & per quem omnia sunt pro largâ hâcce divinitus concessâ gratiâ sit

*Laus, Honor & Gloria
In sempiterna Secula.*

F I N I S.

